



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

Varia Testimonia Fidei historica in Sæculo VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35233**

1. **ICONOCLASTÆ**, siue Sacrarū Imaginū impugnatores semper *Hebræi* fuerunt, & Mahometani; inde ex quo *Ezides* Rex Arabum, à malefico persuasus *Hebræo*, toto regno suo exturbauit imagines. *Leo Isauricus* quoq; Imperator alio impulsore *Hebræo* edictum proposuit ad imagines è templis eliminandas. In eas fauierunt *Constantinus Copronymus*, *Leo Copronymi*, *Patriarche* quidam *Constantinopolitani*, & c. Qui & diram exercuerunt *persecutionem* Imperio toto; sicut & Arabum *Saracenorum* Principes in *Syria* atq; *Palæstina*.

2. **ALDEBERTVS** Gallus *an. 745*. accusatur hæresios ab *S. Bonifacio* Romæ in Concilio. Iactabat se in utero matris sanctificatum: Ab *S. Michaele* accepisse reliquias, per quas à Deo quiduis exorare possit: Se ipsum creauit Episcopum sicut & complices indocti seipsos: suo nomini dedicabat ecclesias, non *Apostolis*; quod his maior esset: Voluit orari; *per merita Aldeberti* iuuare nos: suos ungues, crines, & c. diuidebat è collo gerendos pro reliquijs *S. Petri*; Adorari se finit: Confessuris humi stratis ait; Non opus est narrare; ite, scio, arcana introspectio.

**CLEMENS** Scotus item ab eodem accusatur, quod spargeret, *Christum* damnatos quoque ex inferis eduxisse.

Concilium *Rom.* vtrumque anathematizauit cum epistola, quam finxerunt esse *Iesu Christi*, cælo lapsam, & à *S. Michaele* sibi traditam: Multa angelorum ignota nomina prædicabant; cum solum tria norit *Ecclesia*.

3. **CONFESSIOINISTARVM** hæresis in *Scotia* extitit *an. 779*. Sed orta simul occidit nullo autore certo. Certus tamen *Alcuinus* eam refutauit, ac pressit.

## V A R I A

Testimonia Fidei historica  
in Sæculo VIII.

**ANNO DCC. S. Wulfranus**, Archiepiscopus *Senonensis*, in *Frisiam* infert *Euangelium* vt *Apostolus*; negligentibus eam prouinciam vicinis *Gallia* Episcopis.

Is, dum ibat nauis, sacrificabat; & elapsam forte *Diacono* patenam in mare euocauit ex alto, vt *superne*, ceu pluma nataret.

Idem apud *Frisones* rogauit sibi donari puerum, quem barbari de more ducebant *Dijs* suis ex voto suspendendum.

Qui Sancto: sit tuus *Christus* eum suspendio liberaris, tuus esto. Orat: suspensus post duas horas descendit incolumis; falsus se zona *Sancti* fuisse sustentatum, suauiterque soporatum.

**ANNO DCCI.** Postquam *S. Sergius* Papa, facta ei diuina reuelatione, defossam *S. crucis* partem reperisset; diem suum obiit. Vt primum vero *Tiberius Absimerus* Imperator resciiuit *Iannem VI.* esse canonice surrogatum, misit in eum *Exarchum* cum exercitu. Verum *Italia* miles vrbsque venienti sese obijcientes pro *Papa*, *Cæsarianos* repulerunt.

Atque ex hoc paulatim vires Exarchatus in Italia cæperant imminui, pendique villis augeri autem Pontificis libertatem, vexatam ab hæreticis Imperat. diu, ac prefam.

In Hispania Rex VVitiza, optimi Egicæ Regis filius, apostatat à fide, omnium flagitiorum aperit licentiam, plurium vxorum vsu unicuique, Cleroque imperat coniugium aut cõcubinatum, cogit renunciare obedientiæ Papali. Hinc diræ cades octa Episcoporum, & Cleri, ac euastationes ecclesiarũ. Causa fuerat: Quia Gothorum Reges primi Hispaniam Sedi Apostolica Rom. fecere tributariam, non quam possiderent, sed annuo tributo sibi Papæ deuotam haberent. Et illud V Vitiza negat tributum.

ANNO DCCII. Sanctus Heimeramus Episcopus Ratisbonensis, vt imprægnatam Bauariæ Principis filiam cum adolescente reo liberaret à morte; sibi stuprum passus est imputari. Violatæ frater Sanctum Romam peregrinantem in via singulis truncari membris curat. Qui sic relictus haustum petit à Vitali presbytero: dicentique; *Vtis refocillari, & non potius mori?* ait: Nulli præcipitanda mors, vt pœnitentiæ sit spatium: at tibi bibiturus semper amens reddare, sed noceas nulli. Dictum factum.

ANNO DCCIII, Iustinanus, anno 693, pulsus imperio, nunc restituitur, auxiliante Rege Bulgarorum. Dum Constantinopolim nauigans ex tempestate periclitatur, Dux eum vouere iubet, nullum ab sese hostium occisum iri.

Vouet; emergit; perque occultum aqueductum subintrat Constantinopo-

lim: Captum Tib. Abfimarum, Leontium, Sattapaque triumphat, coliq; calcanti in Circensibus acclamatur: *Super aspidem, & basiliscum ambulabis.*

Simul Callinicum Episcopum Constantinopolitan, autorem pseudosynodi Quintisextæ, anno 692. contra Papam habitæ, Romam mittit in exilium: vbi à Papa stipem rogar. *Cyrum* vero Monachum in eius locum substituit, quod ei reciperationem imperii praxisset.

S. Benedictus Abbas, monachisimæ propugnator in Anglia obit.

ANNO DCCIV. Dum Longobardorum Duces de Italia regno depugnant, Aripertus vincit præcibus S. Boniti Aruernensis, Romam forte peregrinantis. Rex Marte factus donat Alpæ Romanæ Ecclesiæ. Quam Donationem ipsius filius iterato confirmat anno 712.

Rex Merciorum, cum 31. annis regno sancte præfuisset, professus fit Monachus, relicta Coenredo fratri conona.

Hic percharum sibi militem æquam confessionis admonet, sed nihil, præter istud auferebat: *Cum reualuero, parib; qui mortis malum mihi exprobrent.* Reuult ad eundem Rex; sed abscedere iubent. *Actum est,* inquit, *vidi meam abominandam consciētiam.* Ecce, duo formosuli bene acta mea è citro recitauerunt libello: atri innumeri his pulsus me protinus circumfiliunt, duo etiam in me ingressi, hic à vertice, ille à pedibus: vbi conuenerint ad præcordia, perditam reddo animam. Inque voce peribat,

AN. DCCV. Græci iam diu nomen UNIVERSALIS nequicquam affectarunt; ut *Primum Ecclesie* detractum Romæ, vendicarent sibi: Nunc demum, quo & Papam & Ecclesiam Romanam sibi redderent obnoxiam: sese plures in Clerum insinuarunt Romanum, ut arte facerent Papas creari Græcos.

Et factum est, verum vnus ille omnium Pontificum Romanorum Spiritus continuo inuasit eosdem, ut pro Rom. Ecclesia starent contra & ambitiosos, & factiosos, schismaticosque Græcos. Et quidem Ioannes PP. VII, Græcus, petente Imperatore Iustiano Restituto, ut confirmaret Synodum Quintisextam: damnauit eandem in Concilio Rom.

In quos *Vilfridus*, Episcopatu Eboracensi per calumniam pulsus, quem XL. annis sancte gesserat, restituitur insons. Dumque Roma in Angliam reuertit, eger in via viuere delijt. Iacuit ipso quadrado exsensus, ex animi similis: momento demum redditus sibi Accam Presbyterū poscit, remotis arbitris solidicit: *Sanctus Michael* apparens me vitæ restituit, donauitque circumstantium precibus fratrum, *Deipara* intercedente.

In Saxonia obit S. Heddi Episcopus; in cuius obitus loco fusa, haustaque aqua sanat.

A *Sancto Suiberto* conuertuntur Bructuarij Germani, viso per eum curari demoniacum; in quo Sacrificuli omnia nequicquam percentarant.

ANNO DCCVIII. Sedes Rauennas iam diu subesse Romanae Ecclesiae recusauit: hoc anno sese submisit. Felix igitur electus Episcopus tendit Romam consecrandus: Rauennam reuersum pœniter facti, innouatque schisma prius.

Iam eius fidei ac obedientiae *Confessio* in Archiuo Romano deposita iacebat: forte, dum aliud quæritur, ecce tibi illa tota fusca, & ceu flammis adusta reperitur: indicio defectionis. Imperator vero vi capit Rauennam, ipsumque Felicem excœcatum procul deportat.

ANNO DCCIX. S. *Vilfridus* Episc. Ebor. obit. & S. *Alhelmus* Episcopus Schireburgens. Rex Angliæ cum fratre peregrinantur Romam, ut ibidem gratiosius moriantur: & factum est ita.

AN. DCCXI. S. Suibertus excurrēs sacrificatum, excussus equo, curruque obtritum suscitatur à mortuis vectorem lapidum ad monasterium V Verda; quod in Rheni insula construebat; ex quo primum Saxonia fidem accepit Christianam.

Felix Episcop. Rauennæ exul, & oxoculatus resipiscit: redditur Sedi; viuunt sancte sanctus, & clarus miraculis.

AN. DCCXIII. Ex obsessa puella, quæ balneum initura forte calcavit fici folium, proiectum à proco, & inscriptum nomine diaboli; cacodæmō proclamat, S. Petrus abdicauit Philippicum, eum à me promotum, creauitque *Anastasium Imperatorem Catholicum*.

Philippus Dux, ab Constantino in Cherfonenses missus rebelles, ad vsque infan-

infantes delectos, ut urbis solum aratro quoque proscinderet; desciscit ab crudeli Imperatore; submissum necat Ducem, Imperatorque salutatus enecat & Imperatorem cum filio. Prius dum in exilium iret, monacho prædicenti, futurum Imperatorem, iurarat, se pseudosynodum Quintisextam aboliturum; at iam Imperator suam fidei Confessionem submittit Papæ: qui hæreticam condemnat. Inde factus ipse caput hæreticorum est.

At hoc anno, pridie Pentecostes, post balneum meridionas, à Secretario suo Artemio captus exoculatur, acclamatusque Imperator ille eum proferibit; simul suam Fidei Catholicæ professionem ad Papam perscribit: qui eam adprobat, innumerofque pene lapsos recipit in Ecclesiam.

Eadem ex obsessa dæmon idem proclamat, iam prope abesse, ut perficiat, quod diu meditatus erat, scilicet ut *Turci inuadant Hispaniam: in pœnam facta à Papa defectionis sub VVitiæ rege impio*. Ipsoque hoc anno factum est: & perfectum an. 716.

AN. DCCXIV. Gregorius II. Papa deponit Patriarcham Constantinopolitanum ob hæresin, & Cyzico transfert isthuc *S. Germanum*: quem Pogonatus, è Sicilia redux, castrarat, quod interim parens eius cum aliis alium acclamasset Imperatorem.

Is in S. Sophiæ inductus gravidæ pœtenti: *Benedic Domine quod est in utero*, ait: *Benedicat hunc Dominus per protomartyris intercessionem*: natus inde dicebatur *Stephanus*, qui euasit *Sanctus*.

Theodosius inuadit imperium, A-

nastasium esse cogit monachum, anno 715.

At

AN. DCCXVI. Leo Isaacus, Orientis Præfectus, arripit imperium: quo audito Theodosius cum filio sese tendent in Clericos: Ephesique mortuus hoc tantum tumulto inscriptum voluit: *SANITAS*.

*S. Corbinianus* dum è Germania Romam obit peregrinationem, vel inuolatur creatur Apostolus Frisingæ.

*S. Bonifacius* in epistola perscribit uisum perfuncti, sed & vitæ redditi miram visionem; in qua notanda venit & admiranda animæ à corpore separatae perspicacitas. Is memorabat se à dæmonibus accusatum, ab Angelis defensum, uidisse paradysum, Purgatorium, Regemque damnatum. &c.

AN. DCCXVII. Saraceni obsident Constantinopolim; peste, fameque percutunt per opem B. V. Mariæ, cuius imago per mœnia fuerat in processionem circumlata.

AN. DCCXIX. Saraceni solentur obsidione Constantinopolim; partim naufragio percutunt, partim grandine ignea iuxta cum nauibus comburuntur quarum solum quinque, nunciæ cladis, emergunt.

Eum diem Constantinopolitani festum agunt, ag: que sancunt æternum Dux Saracenus exoratur in urbem intrandi licentiam: at sub ipsa porta eius figuratur immobilis, ubi *imago B. Virginis* prostabat; quam ille blasphemauerat.

Saracenis in Hispania Astures rebellant, in montē, in que speluncam abdi-

ros Saracenus exercitus inclusurus viginti grandibus saxis obuolutis, ecce hæc retroacta, & abditi prosilientes multa eorum millia prosternunt. Inuocant Christiani *Deiparam auxiliatricem*.

AN. DCCXIX. S. Bonifacius abiit Romam cum Episcopi Anglæ Comendatitijs: ibi à Papa iniatur Apostolatu Germaniæ. Iamque ex humanis excelsit Frisonum Rex, & Christianorum persecutor Radbodus: qui à S. VVulfrano Saxonum Episcopo baptizandus retraxit pedem, audiens ex adiurato ab se Episcopo, Maiores, nobilesq; eius, ut infideles, luere in tartaro: addiditq; Malo esse cum tot ac tantis, quam paruo grege pauperum.

Post hæc accerserat S. VVilibrordū, auditorus an cum Wulfrano cōsentiat. Verum Legato inquit: Quid miserū conueniam? Ignea vidi catena ligatum. Interim dæmon fastuosissime ornatus apprensus Radbodo, spondet ei amplissimam habitationem post fata.

At S. VVulfranus aperit ei delusionē diaboli: simul cum legato suum mittit Diaconum, qui vani sit spectaculi testis. Euntibus occurrit monstraturus eam habitationem: vident aurea omnia, &c. Sed signo crucis facto ab Diacono cuncta disparent: ipsi sese in media palude constitutos conspiciunt, vnde vix triduo emersi, reuersique Regem offendunt animam exhalasse.

Leonis Isaurici filius Constantinus baptizatur, fonteq; iterat. Quod S. Germanus ad iudicium grandis mali in Ecclesia perpetrandi interpretatur.

Qui Anno DCCXX, regifica pompa coronatur.

ANNO DCCXXI. Concilium Romæ agitur contra presbyteras & Diaconas, virorum ordinatorum matrimonia repetentes. Syrus quidam, se Messia simulans seduxit Iudæos.

ANNO DCCXXII. Leo Imp. cogit Iudæos ad baptismum, itemque Manichæos: quorum multi se domui conclusos combusserunt: pleriq; in omnia Sacra Catholica iurarunt. Verum suo sensu.

Quorum vnum hoc studium; habere secreta omnia. Huc vtebantur Symbolo hoc: *Iura, periura, secretum prodere noli.*

ANNO DCCXXIII. Iudæus quidam Regi Saracenorum vaticinatur, spondetque annos xxx. & vitæ, & regni Arabum; *si statuas, & picturas Christianorum demoliatur.* Quod dum totus incumbit, sesquennium vitæ non complet: Filius Iudæum adegit ad mortem.

ANNO DCCXXVI. Leo sub initium Impetii sui persuasus vaticinio Hebræi, felix imperium fore, *si imagines e medio tolleret Ecclesiæ;* id huc vsque altum dissimulauit.

Vrgent Iudæi, ut de eo Senatusconsultū promulget; quod tamen senatus nō decreuerat; sed à Leone decretum audiuit sibi proponi.

Aggreditur iconomachiam; populo in tumultum ruente, ait *Nolo prorsus imagines aboleri, sed altius collocari; ne osculis adbasatis taminentur.*

Tunc Sanctus Germanus monet eum, cæpto desistat; & addit: *Depositio-*

7 ncm

*nem Sanctarum imaginum audiuimus futuram, sed tempore Canonis.* Cui Imperator; At mihi ex baptismo Canon est nomen.

Et Sanctus Germanus; *Absit per tuum imperium id fiat, Antichristi præcursor is erit.* Sicque ipso triennio ducta contentio est.

*Hæc initia Iconomachie.*

Mare diu ignes ebulliens omnia late pumicoso cinere contexit, exussitque bibliothecam Constantinopolitanam vna cum inclusis doctissimis viris, constantem libris trecenties millenis & millibus tribus.

Missus à Leone, qui *Deipara statuam* vrbs portæ impositam deijceret, à sceminis eversa scala præcipitio enecatur; quæ ad templum confugæ cum aliis pluribus trucidantur.

GREGORIUS II. Papa primus insurgit contra literis; mox Concilio Romæ congregato; damnat Iconoclastas.

Italia, totusq; Occidens rebellat Leoni, Deo rebelli.

Luitbrandus Rex Longobardorum Cæsareas in Italia vrbes inuadit, Papa nequicquam deprecante.

Leo è contra missos ad sese Papæ legatos exilio primum, dein & morte multat.

Sæpius in eum misit Duces, percussores eius, in vanum: nam primus est paralyti eneruatus; secundus ab

Romanis cæsus; tertius ab Papæ hostibus Longobardis interemptus. Deum edicto per Occidentem contra Papam euulgato, omnes in vnum sese armant Leonem, ac ni obstitisset Papa, alium Itali Imperatorem acclamarent.

Hæc inter orat CAROLVM MARTELLVM Papa, vt Ecclesie suscipiat protectionem. Quo absterretur Leo; præsertim è Saxonia nouis Principibus Christianis Romanæ frequentes obeuntibus peregrinationes.

Interea Sanctus Bonifacius pene plus laborat in corrigendo Clero venereo, quam in ethnicis conuertendis.

ANNO DCCXXII. Constantinopoli Dux in *statuam Deipara* contorsit saxum: ei apprensus inquieto Alma patens ait: scilicet tortis vir es: at in tuum id caput.

Nec diu, cum Saraceni vrbes obidentes, coniecto in ipsius caput saxum, comminuunt idem.

Post Papam primus Sanctus GERMANVS stylo insurgit contra iconoclastas; alter Sanctus Ioannes Damascenus.

ANNO DCCXXVIII. Leo occupatur epistolam Sancti Ioannis, et fingi manum curat similem de vrbe Damascena sibi prodenda; quam ad Saracenum mittit. Is Ioanni dexteram præfectam suspendit.

Redditam ei Deiparam precanti & obdormisceti Virgo applicat trunco, & con-

conferat. Saracenus Rex eū hoc impē-  
sus amat, redditque officio. At is prae-  
lit Monasticen, suis cunctis inter egenos  
diuisis.

ANNO DCCXXIX. Leo pacificur  
cum Longobardorum Rege, vt  
vrbes Pontificias inuadat, suis au-  
tem Exarchus Romam, percussurus Pa-  
pam.

Atqui hic occurrens Regi ad Vatica-  
nam ita flectit eum, vt supplex veniam  
peteret, armaque cum corona ad val-  
uas templi deponeret. Similiter & exar-  
chum flectit.

ANNO DCCXXX. Leo postquam  
in Occidente non succederet, in Ori-  
ente celebrat *Silentium* contra iconas.  
In vnum tamen Sanctum Germanum  
insurgit heroice resistentem, dum in  
exilium deportaretur, eique sufficere-  
tur iconoclasta.

Tunc vero ciuibus edicit Leo, sta-  
tuas omnes amoueant procul, dealbent  
parietes. E contra Pontifex Roman. ex-  
communicat ipsum, negat tributa ei ab  
Italia pendi, iure impetii Occiden-  
talis eum exiit, priuatumque decla-  
rat.

ANNO DCCXXXI. Gregori-  
us III. Papa peracres dat literas ad  
Leonem; quas tamen legatus, visa  
persecutione, non tradidit: Qua cau-  
sa eum sanctissimus statuit exauctora-  
te gradu.

Cogit Concilium Imperatori depo-  
nendo; sed Episcopis id deprecantibus;  
offerentem sese Legatum priorem ijs-  
dem cum literis mittit ad Leonem:  
complures quoque Episcopi vndique

concurfant ad Leonem sanius infor-  
mandum.

V. Beda septennis inijt monasteri-  
um; degit in eo annos ipsos vnde sexa-  
ginta; diemque hoc anno obiit dicens;  
*Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Di-  
citur venerabilis antonomasticōs, non,  
vt fabellæ ferunt.

AN. DCCXXXII. Leo iungit filio  
Copronymo Irenen, barbari Regis fili-  
am, doctam tamen ac piam: Adimit  
Papæ tributa Sicilia; mittit in eum clas-  
sem; at quæ interit naufragio. Coacto  
rursus Concilio Romæ excommuni-  
cantur Iconoclastæ. Ex eo missum ad  
sefe cum literis legatum in carcere deti-  
net Leo per ipsum annum: diramq; in  
persecutionem efferaicit; quæ plures te-  
nuit annos.

AN. DCCXXXIIX. *Hispani* ab  
Turcis oppressi, in montes confuge Re-  
gem sibi dicunt pijsimum Alfonso.

Hic è multis Turcos vrbibus excuti-  
ens, templâ restituit, procurata eis rite  
reconciliatione.

Quia vero duxit originem ab Rec-  
caredo Rege, per Gothos ob propa-  
gationem fidei acclamato CATHO-  
LICO; itemque ab Episcoporum  
Synodo; idcirco & ipse, vt Regni,  
sic Tituli quoque successor esse vo-  
luit, & CATHOLICVS cognomi-  
nari.

Quo demum omisso ab successoribus  
Titulo, Rex Ferdinandus obtinuit  
ab Iulio II. anno 1510. sic eum confirma-  
ri, vt Regibus Hispaniæ hæreditarius  
existeret.

AN. DCCXL. *Eadbertus* Rex An-  
glia



glia, hanc vniuersam Papæ reddit Tributariam sic, vt è singulis ædibus singuli ei denarij penderetur: qui *nummi Petrini* dicebantur.

Quod vectigal cum dependi cessauit, ecce hæresis Angliam absorpsit.

Leone sacras imagines triumphante, terræ motus quatit Orientem ipsos XII. menses, euertit vrbes, totamque pene Constantinopolim; relictas Imperatorum statuas perturbat: crebris demum obitus supplicationibus Virgini Matri, quieuit.

AN. DCCXLI. Leone mortuo *Copronymus sauius furit* in imagines blasphemus in Deiparam. Institutos ab S. Bonifacio Episcopatus per Germaniam confirmat Papa an. 742.

At anno 743. sinistre informatus Sanctus Bonifacius, quod pro collatis Pallijs in tres, pecuniam accepisset, arguit eum, sed sese demisse purgantem.

ANNO DCCXLV. Sanctus Bonifacius habito Concilio Moguntinum Episcopum deponit, quod in bellum islet contra Saxones, in eo parentis sui, etiam Episcopi Moguntini, duci; belli occisorem trucidasset, quodque venationibus indulgeret. Proinde ipse creatur à Papa Episcopus Moguntia; fitque Archiepiscopatus Germaniæ. *Adelbertum* hæreticum per literas acculat Romæ, ubi & à Concilio, vna cum Clemente Scoto condemnatur.

AN. DCCXLVII. *Carolomannus* Rex Franciæ donat Sancto Bonifacio tria milliaria circum Fuldam: peregrina-

natur Romam, abdicato regno viuit Cassini monachus ad miraculum humiliter.

ANNO DCCXLVIII. Rex *Gilolphus* omnia latè circa Cassinum donat monasterio, eximia Fratrum motus pietate. Horribiles terræ motus, pestes, & sinistra sese tulere; his annis; an ob monstrum Iconoclastam Imperatorem?

E contra *Pipinus*, victis Westphalijs & Saxonibus ethnicis, sese ad omnem retrò posteritatem nobilitauit.

ANNO DCCCL. *Rachis* Rex Longobardorum vrbes Pontificias, rupto federe, bello petit; Perusiumque obsidet. Papacum Clero virum conueniunt; obstitunt sic, vt Romam ad Limina Apostolorum peregrinaretur cum vxore ac liberis; cumque his, abdicato sacculo, monasticen profiteretur: & regnum fratritraderet Aistulpho.

*S. Richardus* Rex Angliæ, ad disciplinam S. Bonifacij formatus, omisso regno, tendit Romam, habitumque assumit monasticum professus.

ANNO DCCCLI. *Pipinus* exorat *Burchardum* Episcopum Herbitopolitanum, ad Papam se conferat, consulatque regno Franciæ, sub *Hilderic*o Rego lidio periclitanti.

Et Papa ab hoc *transfert regnum in Pipinum.*

Idem ex Episcopatu Moguntino facit Archiepiscopatum, seu potius confirmat iam factum an. 745.

ANNO DCCCLII. S. Bonifacius iungit Pipinum in Regem Franciæ; ex auctoratum *Hildericum* destrudit in monasterium.

Zacharias PP. confert Regibus Franciæ Ius Nominationis.

ANNO DCCLIII. Aistulphus Rex Longobardorum Romam obsidet, Papæ nullis legationibus flexibilis, potentiâque superior humanâ.

Ergo diuinam sollicitat Papa, omni Sabbato ducit cum Christi & B. Virginis imaginibus, Clero, populoque comitante, frequentes supplicationes; quibus vim sustinet tyranni. Interim Pipini implorat auxilium; qui ipsum ad sese inuitat.

Venienti ad tertium lapidem pedes occurrit cum Regina & liberis: supplex, humique stratus eum excipit; Penitentique Papæ, vt SS. Apostolorum ac Vrbis esse Patronus velit.

Etiam Pipinus ad illud obsequium sese cum iuramento solenni deuouet.

ANNO DCCLIV. Cum Papæ Stephano III. Parisijs ad S. Dionysium Pipinus palatium dedisset; ex morbo Pontifex desperatur.

Inuocato igitur in extremis S. Dionysio, integrè persanatur in momento. Protinus idcirco Regem cum Regina ac liberis inungit; *Cantum ecclesiasticum* à Gallis discit perfectiorem, restituitque per Italiam; *Canonizat*, sic petente Pipino, S. Suibertum multis inclitum miraculis; Transfert S. Germanum è sacello in basilicam summam; idque admonitu ipsius Sancti; nolentis, neque valentis etiam baiulari, nisi ab septennibus pueris.

Interea Pipinus apparat bellum contra Longobardum; ducit in Italiam; primoque conflictu cum paucis deuincit quam plurimos; frangit animos cæte-

rorum; obsessum cogit tyrannum ad æquas condiciones accipiendas; Victorque in Galliam reuertit, & Romam Papa; vbi honori S. Dionysij gratus construit monasterium Græcorum Græco.

Copronymus hæreticum monachum creat Patriarcham Constantinopolitanum; quem cæteri execrantes Monachi, iubentur, vbi vbi degeret, lapidari. Cogit item Pseudotynodum, in qua iubet imagines damnari, idola dici; vetat Sanctos appellari sanctos; minus adorari.

Vocat Stephanum Antiochenum Episcopum quem Synodus coarguat; sed ipse conuincit omnes, confunditque; defensor cultus imaginum. Et tamen adulator populus iconoclastis acclamat vt victoribus. Verum Papa protinus condemnat pseudoconcilium totum.

ANNO DCCLV. Aistulphus iterum cingit obsidione Romam: inuocatus sub comminatione excommunicationis aduolans Pipinus; obsessum in Papiæ tyrannum ad æquas adigit condiciones. Redditaque pace donat Pontificatui complures vrbes Longobardicas.

Sanctus Bonifacius Frisij Christi prædicandi licentiam petit ab Papa; simulque Sanctum Lullum pro sese relinquit Archiepiscopum creandum Moguntia. Concessum vtrumque est. Verum dum vadit Confirmationis Sacramentum impensurus innumeris baptizatis; ecce ad Bortnam fluuium cæditur cum socijs.

Parricidæ rebantur thesauros sese re-  
perturos; itaque paciscentes quemad-  
modum eos inuicem partirentur, ex  
dissensione veniunt ad conflictum,  
mutuisque sese mucronibus conficiunt  
omnes.

In cæde S. Bonifacij librum Euange-  
liorum manu præferentis, hunc disse-  
cati medium contigit; neque tamen  
vel literulam oblædi, aut aboleri. Sepeli-  
tur Traiecti. Ipsius vox erat in Conci-  
lio Triburicensi: *Antiqui Sacerdotes aurei  
sacrificabant in calicibus ligneis; noui sunt  
lignei, & sacrificant in aureis.*

ANNO DCCLVI. Aistulphus in ve-  
natione diuinitus ictu incerti auctoris  
percutus perit.

Rachis vero iam diu monachus, de-  
serto monasterio, repetit regnum: at  
Papa, ut apostasiam impediatur, regnum  
tradit Duci Desiderio, auxilium Eccle-  
siæ pollicenti.

ANNO DCCLVII. Papa diu labo-  
res perdente in Copronymo ad sanio-  
ra traducendo, ecce pœnam; Sarace-  
nus Oriente toto Christianos exhau-  
rit intolerandis exactiõibus; templo-  
rum ornamenta diuendit Iudæis; ipsos-  
que pauperes monachos esse iubet ca-  
pite censos.

Econtra Pipinus pluribus victorijs  
contra Saxones felicitatur:

In Hispania Rex Friola, magnus Sa-  
crorum Canonum obseruator, multas  
ab hostibus aufert victorias.

ANNO DCCLX. Caput Sancti  
Ioannis Baptiste translatum è mona-  
sterio in basilicam ipsi sacram mirifice  
fragrabat, & lauabat multos.

Pipinus iusto bello cogit Ducem A-

quitaniæ ablata ecclesiis bona restitu-  
ere.

Verum eo sapius perfide, resilien-  
te, & denique diuinitus cæcitate per-  
cussio, Aquitania traditur Pipino à Pa-  
pa.

At quia Pipinus villam Episcopus  
Laudunensis suo sub tributo retinebat,  
in ea pernoctans à S. Remigio appa-  
rente, increpitumque dirè flagellante,  
punitur.

Idcirco protinus cum febris, & vibi-  
cibus, à villa recedit,

AN. DCCLXII. Copronymus  
edicto cauet, ne quisquam suscipere  
Monasticen ausit; simul sæue perse-  
quitur monachos; inprimis S. Stephe-  
num nouâ strophâ trahit in calumnia-  
m, & exilium.

Subornarat Syeophantam, qui à Ste-  
phano in monachum attonderetur; de  
quo publicum luctum præseferbat, ad  
populum oratione conquestus; demum  
ad Deum in preces versus orat pro reditu  
amici; & quasi à Deo instinctus vaticina-  
tur, continuo rediturum ad sese ami-  
cum, (miserat iam qui raptum è mona-  
sterio adduceret.) Quo aduentante va-  
tes creditur, id quod nomen affectuati  
cultu illum monastico exuit palam, in-  
duitque militari, gaudens acclamatione  
populari; *tolle Stephanum, tolle mona-  
chos.*

AN. DCCLXIV. Paulus Papa  
complura Sanctorum corpora in sub-  
urbanis, per Longobardos vastatis, ce-  
rta religiose transtulit in Urbem: cum  
Pipino igitur petente quadam ex Ur-  
be translata sunt in Gallias regiâ pom-  
pâ.

Nimi-

Nimirum, quos Oriens Sanctos persequeretur, colit impensius Occidens.

AN. DCCLXV. Imperator reuocatur ab exilio S. Stephanum, quod miraculis Sacrarum cultum imaginum comprobaret.

Nam exco preces, pro sui reluminatione ab eo petenti, ait; Si habes fidem Dei, eiusque imaginem colis, respice. Et respexit videns.

Idem prænobilem puerum, ab demone infestum, fufis ante Christi & B. Virginis imagines precibus solis, ab infestiore genio liberauit.

Idem militem ex gibbo incuruum, imaginem ex iussu veneratum restituit rectum.

Id quod dum prædicat commilitonibus vt idololatra accusatus traditur Copronymo.

A quo victus blandicijs execratur imagines.

In præmium Centurio factus additum sibi in equum conscensurus ab hoc deijcitur humi, pedibusque furentis obteritur.

Quò efferatior Cæsar Sanctum Stephanum compingit in tetrum carcerem.

*An, quærit, & quo modo pingi S. Trinitas possit?*

At ille è vestigio mendicat obulum, exhibitoque ait: Cuius imago hæc?

Ferresne proculcari eam?

At tu Christi, ac Deiparæ conculcas imagines sacras; quid peccem ego tuam pessundans?

Simulque pessundabat. In carcerem abreptus ait: Hæc requies mea in sæculum. &c.

Tyrannus edicto iubet ab omnibus toto imperio excipi iuramentum de non colendis imaginibus; detrectantesque varijs tormentis enecari.

ANNO DCCLXVI. Imperator cogit monachos singulos singulas monachas ad manum ducere per Hyppodromum; & ecce vindictam: Classis eius magna disperijt eodem temporis articulo per sæuam tempestatem. Idem circumferri Lipsana reliquiarum curat in ludibrium.

Chalcedone S. Euphemie reliquie flammis exuri à Persis nequierunt in arca lignea conditæ: tempore Heraclij Constantinopolim translatae & diu spirarunt odorem, & emanabant vnguentum salutare.

Iam vero ab Copronymo in altum proiectæ procul ad nauigantium proas adnatans arca recipitur; continuo receptam lux circūstat, daturque Episcopo in Lemno insula: cui apparens S. Euphemia dissuadet isthic sese detineri, sed vrbi Bizantinæ deberi. Interim feruet persecutio iconoclastica, quæ illustri multos coronat martyrio, cum non raro miraculo.

ANNO DCCLXVII. Sedes Romæ vacat mortuo Paulo: quòd Dux Nepefinus fratrem suum laicum Constantinum intrassisset, & Prænestinum Episcopum coegisset ad inaugurationem intrusi.

Cuius tamen dextera haud multò post exaruit, vt indigno imposita.

S. Stephano carcerem psalmorum

cop.

concentu in monasterium vertente, fu-  
rens Copronymus eum capite plectit;  
lictor iplo in istu à dæmone arreptus  
cum furia exhalat animam, &c.

ANNO DCCLIX. Antipapâ fuga-  
to Clerus eligit Stephanum III. simul  
decernit, ex solo Cardinalium Colle-  
gio Papam eligi oportere intrusionib.  
cauendis.

ANNO DCCLXX. In Concilio  
Wormatiensi præsentem Carolum Ma-  
gnum exorarunt Patres, ne Clerus ad  
bellum ineundum, nec ad exactiones  
cogeretur; sed solis intentier Diuinis  
vacaret.

Recitaridem solennem formulam  
Ostertorij istam: *Facit scripturam de ipsis  
rebus, quas DEO dat, & eam supra altare te-  
nens dicit; Offero Deo, & dedico omnes res,  
quæ in hac chartula tenentur inserta, pro re-  
missione peccatorum meorum, ac parentum,  
& filiorum. &c. ad seruiendum ex his Deo in  
Sacrificiis, Missarumque solennijs, oratio-  
nibus, luminarijs, pauperum ac Clericorum  
alimonijs, & ceteris diuinis cultibus, atque  
illius Ecclesie utilitatibus.*

*Si quis eas inde, (quod fieri nullatenus  
credo) abstulerit; sub pœna sacrilegij ex hoc  
Domino Deo, cui eas offero atque dedico, stri-  
ctissimas reddat rationes.*

Copronymus omnes toto Oriente  
monachos monachasq; contrahit Con-  
stantinopolim edicit ipse: Qui nobis  
obedire volet, candidâ se amiciat; hac  
hora vxorē ducat; aut cæcatus exulet.  
Deficiuntque multi.

ANNO DCCLXXI. Continuò mo-  
nasteria subhastat, libros monasticos,  
liptanaque sacra dat rogo.

Carolus Magnus anno 770. ducit

Berbam Desiderij Longobardorū Re-  
gis filiam, repugnante Papa, ac anathe-  
ma fulminante: at hoc eam anno repu-  
diat, cum graui (scandalo Imperij) & or-  
bis.

Ea verò fit monacha Corbeia, & vi-  
tâ miraculisque Sancta.

*Reliquia S. Huberti, sexto decimo post  
obitum anno, eleuantur, corpore inte-  
gro, absque vilo vitio; situae, ac n. in sic  
fragrante: ijs rite adoratis, ornatijq; flens  
Carolomannus diem obit.*

AN. DCCLXXII. Desiderius omni  
vi petit Papam, vrbesque Romanas ra-  
pit: Carolo interim Saxones præli-  
is multis atterente.

Aliquando exercitus eius in longa  
siccitate laborabat siti; nec desisterat  
tamen ab idoli demolitione; & ecce, de  
repentē torrens quæ ebullit tam diu,  
donec idolum cum fano euertissent, ita  
refocillati.

AN. DCCLXXIII. Desiderius ad  
iteratam Vrbis obsidionem ducturus  
exercitum, spernit quidem & deheran-  
tem, & deprecantem Papam: ac telum  
excommunicationis intentantem fu-  
git.

Mittit ad Carolum, mentiens se om-  
nia restituisse Papæ: ac inuocatus in au-  
xilium Carolus adest; solo nominis ter-  
rore fugat Longobardos; vrbesq; pon-  
tificias reciperat.

AN. DCCLXXIV. Carolus, exer-  
citu suo Papiam ac Desiderium obside-  
te, Romam init Pascha celebraturus.

Venienti occurrit cum Clero Pon-  
tifex, scholasticellis ramos præferentib.  
cum cantu. &c.

Carolus pedes S. Petri gradus scan-  
dens,

dens, singulos exosculatur; & expleta oratione, licentiam petit Urbis incundae: Veteres Donationes S. Petro factas confirmat; additque pares; quas & conscriptas offert in ara more maiorum. Interim coactum morbo Ticinum deducit facit DEVS CAROLO; qui Desiderium abducit captivum in Franciam.

Sigebertus, conditor Chronologiae, finxit in gratiam Henrici Imperatoris schismatici; quod hic praetendebat; iam Papam in Synodo Romana CAROLO contulisse LVVS INVESTITVRAE; idemque ex ipso descripsit Gratianus.

Verum, angusto tempore, quo Romae CAROLUS egit, Vniuersale nequijt Concilium cogi.

2. Deinde; Eginhardus, Caroli Secretarius, in huius vita negat eum quintum iuisse Romam.

3. Adhuc, CAROLUS omnes Inuestituras & Electiones fieri per Clerum mandavit, dist. 63. q. 34.

4. Denique id aetatis nec vel nomen *Inuestiturae* notum erat.

5. Legati Ludouici ne quidem admissi fuerunt ad electionem Adriani II. &c. Ergo fingitur.

ANNO DCCLXXV. Copronymus incurabili morbo anthracis in cruribus à Deo percussus febris ignota aestuabat euulans: *Vniens ignis sum inextinguibilis traditus, iussisque iam Sancti. Deiparam Virginem, Sanctosque colit.*

Sicque extinctus periit, qui viuus daemonibus sacrificauit; Caballinus cognominatus, quod se suosque oblini stercore equino delectatus fuerit.

Eius filia Anthusa, fit monacha, &

Sancta: filius Leo IV. Imperator, & pietatis simulator donec tenere se omnia tuta putaret.

*In Anglia Offa* Rex Merciorum, Orientalium Saxonum, in partem satisfactionis pro peccatis suis facit deuotique *Regnum* suum Ecclesiae Romanae *Tributarium* sic, vt à singulis aedibus quoquo anno nummus penderetur; Et Erfordianam Ecclesiam ditat.

ANNO DCCLXXVI. Rebellantes Papae Longobardos in Italia ocys aduolans CAROLUS cum copijs venit; vidit; vicit.

Interim Saxones castrum Sigisburgum oppugnaturi, flammea supra id apparente romphæa, fugit à diuinitus conterriti; seque ipsos mutuis ictibus ad internecionem concidentes delent.

Reliqui CAROLO superuenienti spondent, se fore Christianos.

Inde reuersus in Franciam Synodo Wormatiensi adest; iuxta Concilij decretum iubens bis omni anno celebrari Kalendis Martij & Octobris, Rege Franciae praesente; Non Praesidente.

ANNO DCCLXXVII. CAROLO iurant Saxones omnes baptizati; (praeter Witakindum, cum suis & pijs profugum;) idque Padebornae in Synodo.

ANNO DCCLXXVIII. Saxones iidem, ab Witakindo inducti, resiliunt à fide data desecunt; CAROLO procul in Hispania belligerante; Et verò omnia ad Rhenum vlque deuantant; ipsamque VVendam.

Vbi *Ogellus Sancti Suiberti templo saepius,*

pius, at frustra, ignem subiecit: nam diuinitus identidem extinguebatur: incensor nihilominus de conatu suo dum gloriabunde se iactitat, in dicto, in plano corruens frangit ceruicem.

Sepelitur, idque sapius: sed terrâ cadauer vsque respuente, & æquatam solo fossam replente.

Quia autem tam horrifico vultu deformatus iacebat, vt nec oculis ferri posset, fœtore abominabilis in Rhenum abijcitur.

Amici eius duo Paderbornæ cognito casu, diram in S. Suibertum vomunt blasphemiam: dictoque citius alter cæcus, mutus alter effectus ac surdus; tacitis vouent animis, sese S. Suiberto Ecclesiâ instauraturos, si vel à diris cruciatibus liberarentur: quos præter dictas plagas perpetiebantur.

Conceptum ecce votum vtrique restituit sanitatem.

ANNO DCCLXXIX. Carolus ducit in rebellem Saxoniam; incruentoque bello fugientes, acceptis obsidibus, recipit in fidem; subactâ iam Saxoniam & Westphaliâ.

Hocce per annos Carolus legendi, psallendique disciplinam emendauit. Eius monitu quidâ Archiepiscopi explanarunt *sacrorum vestimentorum significationes*: Vuardus Monachus *Martyrologium*, post Sancti Hieronymi, Beda, Flori labores, disposuit: Hadrianus Papa *Antiphonarium & Responsorium* elaborauit:

Alcuinus *libros da Diuinis officijs* elucubrauit; & *Sancta Biblia* à mendis Scribentium emaculauit: Tanti Carolum fecit in scientia, vt interrogaret ex eo;

*Cur Dominica dicerentur septuagesima, sexagesima, &c.*

Orta hæresis in Scotia est, *Confessionem Deo tantum, non Sacerdoti faciendam.*

Eam resutauit Albinus perdoctè, ac solidè.

Ad Alcuina, iam tunc correctâ *Biblia Clementina.*

ANNO DCCLXXX. Leo suâ prodit hæresim, dum duas icunculas sub Augustæ puluinari conditas reperit.

Eas n. ritè colebat Irena: quâ is acerbe obiurgat, licet negantem scire se, quem admodum isthuc venisset. Ille ergo aulicos fideiculis examinat, terquet, alios etiam enecat.

Leo carbunculorum amantior, coronam carbunculinam, ex templo raptâ, gerens, febris & carbunculis in capite natis exastuans perit.

Irene piissima cura decenni filio Constantino imperat; cõiuratos in eum capite minuit: Cæsares, germani Leonis, tonsos cogit esse Clericos & Sacerdotio inaugurari: Coronam carbunculinam restituit ecclesiâ: Professionem Monasticæ, iam diu vetitam, esse cuique liberam iussit.

Carolus cum Hildegarde Regina tendit in Saxoniam, iam penitus subactam, eerta ecclesiis erigendis loca designaturus: inde Romam peregrinatione in obiturus, agendis Deo gratijs pro subacta gente tanta sub dulce iugum Christi: pariter vt cum Pontifice pertractet de Episcopatibus per vtramque Saxoniam constituendis.

ANNO DCCLXXXI. Init iter Romam peregrinus Carolus, offert, offertque Ecclesiis regis munificen-

tiæ dona; quin ipsum filium Pipinum offert Papæ baptizandem.

Pontifex verò etiam & hunc, Longobardis, & Ludouicum Aquitanis in Reges inungit.

ANNO DCCLXXXII. Ioannicio Duci Copronymi iconoclastæ, per Olympum ducens exercitum, ex desertis oceurens eremita ait: Fili, si magnum tibi sit Christianum esse, cur Christi despicias imaginem?

Iran' in te virtus tanta erit, frustra nea?

Attonitus ille, prostratusque petit veniam errati; virumque animumque induit alium, & duram pœnitentiam in omnem vitam.

Carolus è facientibus iam sæpe defectionem Saxonibus delecta dena factiosorum milia, præsertim Albin accolentium, educit, ac per Galliam, Germaniamque dispergit.

Atque ita munitam pace firma Saxoniæ uniuersam offert S. Petro Romæ veltigalem; quod ipse eam ope atque patrocinio se perdomuisse profiteretur.

Indictio igitur cuique domui vno nummo annuo, quotannis Romæ S. Petro mille ducentæ argenti libræ pendebantur.

Paripacto & Galliam totam S. Petro subiecit tributariam.

ANNO DCCLXXXIII. Westphalis, arma infesta Carolo iuniori, Caroli filio, inferentibus, commilitare coactus præpotens quidam Dux Bruno Christianus, vouet se quotidie Orationem Dominicam & Angelicam Salutationem, semel minimum, in

honorem S. Suiberti oraturum, morti suæ felicitandæ.

In confictu lancea sternitur, pro mortuo relictus; equis insuper pestundatus ac obtritus, non moritur; opem interea tacitus Sancti Suiberti implorans.

Franci victores lucem cælo isthuc descendere contpicati, rem propius explorant: ignotus & exanguis seruationis suæ votum memorat, Caroloque sistitur.

Donatus libertate ac vita, sanitatem recipit; VVerdæque in famulatio vitæ reliquum expletur.

ANNO DCCLXXXIV. Paulus Patriarcha Constantinopolitanus, abdicato Episcopatu, inuit monasterium Flori, ad pœnitentiam, habitu monastico suscepto.

Ad agram corpore visitantes Imperator cum matre, facti causam percunctantur:

*Hæu, inquit, inuitus licet Episcopus ego creatus, Silui Veritatem Sacerdos, adque Iconomachiam dissimulaui.*

Dixit; & Vixit.

Territus Augustus, edicto licentiam dat protius disputandi de imaginum cultu.

Tarasium nominat Patriarcham, et filaicum, at Catholicum: qui cunctatus diu consentit demum ea conditione; si indicto Generali Concilio super imaginum cultu statuatur; & pax reddatur Ecclesiæ.

Fit vtrumque. Constantinus testatur palam abolitæ iconomachæ triumphum deberi Tarasio, sub Papa Hadriano.



Porro, inde luxum vestium in Clero corrigit Tarasius; in Paschate pauperibus ad mensam ministrat.

Saracenus, etsi dirissimus Christianorum persecutor, Carolo Magno tamen, ad Domini sepulcrum peregrinanti, donat id ipsum vltro nil rogatus.

ANNO DCCLXXXV. Imperator demisse scribit ad Papam pro Tarasio confirmando; proque indicendo Concilio Tarasius; qui & suam fidei Confessionem submitit eidem.

Saxones reliqui se dedunt, subduntque colla Christo, Duce V Vitikindo.

Qui in Paschate clam inter mendicabula assidens in templi vestibulo, quid ageret Imperator, dum explorat; sub Missa ad S. Hostiæ elevationem miraculo speciosulum conspicatur in ea puellum; eundemque deinde in dispensatione Sacræ Synaxios his tristem, tantumque illis dari sumendum! Quo motus se prodit, traditque Carolo, datâ humanâ Carolo, acceptaque Christiana à Deo eiusque ministris, Fide, catechisanti obaudiens S. Herimberto.

ANNO DCCLXXXVI, SYNODVS VII. GENERALIS, in causa imaginum cœpta Constantinopoli, per Iconoclastarum irruptionem disturbata; tuasu Imperatoris differtur in AN. DCC-LXXXVII. Quo Nicææ habetur ab ccccl. Episcopis Orthodoxis; lapsique Episcopi in Ecclesiæ Romanæ Communionem recepti reconciliantur pœnitentes.

In Sessione sexta multis probatur

cultus imaginum: in cæteris ex historia Sancti Athanasii ista: Beryti aditulum conduxerat habitandam Christianus; ex qua in amplius emigrans domicilium, obliuione reliquit Crucifixum; successorique iudæo cedit domum: qui eam incolens nil aduertit Crucifixum prius, quam assessor conuiuia ei demonstrasset.

Hic apud Recutitos accusat hospitem; aduolantes Rabbini fratrem excommunicant; Crucifixo, ceu maiores Christo, illudunt spuris, plagis, blasphemijs, ac demum crucifixione.

Adictum lanceæ iconis latus it sanguine & aqua: sacrilegi conterriti licet, tamen in probam ex eo perungunt paralyticum, iterumque cæcorum pluresque affectos: & ecce perlabantur momento vniuersi.

Fit fama vrbe tota, morbidorumque concursus; & votis singuli dantur conlanati.

Iudæi ad Episcopum confugi Christum profitentur.

Contigit istud, quando hæreticam nam solam Christi imaginem in Eucharistia sese venerari iactabant; & carerarum nullam.

Ecce Sacramentarios. Nam Eucharistia est vere verum Corpus Christi, Dei & Humanis viui; Non imago solum. Et verostud in Concilio sic stabilitur:

Quia, Qui ex Patre, Filioque procedit, recte creditur. At Iconomachi ita dicendum pertendebant;

Qui ex Patre PER Filium procedit, ut imaginem Patris, non ut substantiam coræqualem.

Ibi.

Ibidem sancitur: *Non esse Principum secularium Eligere, nominare, aut dare Episcopos, &c.* Denique in Menologium referunt Patres; *Annua esse memoriam celebrandam damnatae prostrataeque iconomachiae.*

Carolus, ad Beneuentanum Ducem Longobardorum, vnum reliquum, extirpandum ducit Romam copias. Vbi dum Pascha celebrat, Gallos inter & Romanos ortam contentionem saenam, *utri melius canerent*, sic definit: *Dicite, puriorne fons, an rivulus?* Gallis *Fontem* acclamantibus infert: *Ergo reuertamur Galli ad fontem Gregorianum.* Simul orat à Pontifice dari sibi gnaros Gregoriani cantus, qui eundem per Gallias docerent; vbi & scholas excitat Cantuales. E contra Galli docent Romanos canere organis.

Hinc Adrianus Papa vel composuit, vel reformauit *Antiphonarium*. Diuersitas tamen Cantus Ecclesiastici inde nata videtur, quod S. Gregorius S. Augustino licentiam fecerit vtendi cãtu, quẽ quoquo in loco reperisset vtitatum ac bonum.

ANNO DCCLXXXIX Carolus denique Hunnorum octenni bello, orbis vtriusque potentum, Bremensem fundat Episcopatum, accepto Romã Episcopo S. Willehado, vita & miraculis inelyto.

AN. DCCLXXXIX. Laicis in Gallia Episcopa & Monasteria in priuatos vsus distrahentibus, edicit: *Quia iuxta Patrum Traditionem nouimus Res ecclesie vota esse fidelium, pretia peccatorum, & Patrimonia pauperum; cuiq; ea conseruare, sed & conserre optamus, &c.*

Ideo diuidi prohibet, &c. Conquerentibus de monasteriorum opulencia, cum interim omnia bellis exhaurirentur; negat se vllius facultates minuerẽ, aut grauare posse, velle, aut debere.

AN. DCCXCI. In Hispanijs Rex *Alfonsus Castus*, suo Gollaciã regno restituitur; Sic dictus, quod cum Berta uxore, Caroli Magni sorore, viueret in Rato solum, non Consummato, matrimonio. Auri massam, gemmas coram se habens idem destinat ad Crucifixum fabrefaciendum, Redeũdi à Missã officio se obuios forte ferunt, qui aurifabros se profitebantur: erant autem Angeli, euentu teste. Aurum eis, gemmasq; credit, domumque tribuit, in qua laborent. Prudenti venit in mentem, *Itane credis ignotis?* Mittit, qui, quid agant, explorent; ecce relucet domus. Rex hoc audito aduolat; ad lucem stupet, crucem videt absolutam, artifices nusquam. Accersitus clerus radiantem defert in Saluatoris templum. In stipite crucis incisum visebatur: *Hoc signo vincitur inimicus; hoc signo tuetur pius.*

Quo animosior.

ANNO DCCXCIII. audito, quod Mauris tributi nomine Virginum pudicitia Hispanicarum prostituere tur; vindex arma rapit, cum paucis cãdit, vincit, profugat Saracenorum septuaginta millia; Deoque gratus vindici templum Saluatoris collocat Oueti.

Carolus item Saracenis pyratibus in tropæum ponit & S. Cruci basilicam, & S. Petro monasterium apud Arelatem: cui in valuis ita:

Si CHRISTVS est DEVS, & Petrus  
quoq; Clauiger eius;

Iam, nisi per Petrum nemo videbit  
eum.

ANNO DCCXCIV. Felix Vrgelitanus, & Elipandus Toletanus suscitant Nestorianismum, Duos esse Dei Filios; unum Deitatis, alterum Humanitatis. Huc inducere Carolum attentantes, ille Concilium Francofurti viget cogi; vbi suam ipse in libello conscripsit, obrulitque Synodo *Regulam Fidei esse Euangelia, Epistolas Apostolorum & Pontificum Roman. ac Sanctos Patres.*

Hadrianus Papa anathematizat Felicem & Elipandum: Synodus vero *Aliquid* duntaxat reijcit, non totum Concilium Nicænum VII. Legati tamen Romani aspernationis sententia reclamationum. Et Papa repudiavit eandem: Et Episcopi congregati, ipseque Carolus relatione falsi fuerunt decepti à factionis imaginum osoribus; quasi Nicææ statutum fuisset, *Vt par honor Imaginibus, ac Deo tribueretur: Item, Sanctum Gregorium reiecisse cultum imaginum.*

Quæ singula

AN. DCCXCV. refutat Hadrianus Papam vitamque finit, Carolo desletus acerbe. Constantinus legitima repudiatâ, ductâq; aliâ excōmunicatur: qui deuitantes eum monachos disflagellari curat, aliosq; deportari. Scandalo populus occlamauit.

ANNO DCCXCVI. Irene anno 780. viduata Leone, cum solo Constantino filio cepit imperium; coniuratos in se plectit, Cæsares tondet in cle-

ricos, sibi firmat Imperium, rite colit imagines; Anno 788. Persuadet filio, desponsatam sibi filiam Caroli repudiet: qua causa Carolus exercitum Constantini iusto bello fundit, fugatque.

Anno 789. Irene comperto filium sibi soli meditari imperium, ipsa excludit ac relegata; complices eius cædit hos, deportat istos. An. 791. Constantinus patruos ex ocula cupidine regni, tutaque timeret; coniuert Irene. At anno 796. insidias struit filio, quæ mox fortunatur euentum.

AN. DCCXCVII. Vt imperator sola, prehensum filium excæcat, eodem die, quo ante quinquennium suos ipse cæcarat amicos Eodē tempore cōigit solem obtenebrari solito obscurus: simulque mortuo Copronymo stemma eius emori totum: exulesque monachos reuocari.

ANNO DCCXCIX. Hadriani nepotes Primicerius & facellarius Clerici, quod ambitu Pontificatus spececidissent, odio Leonis, in Litaniam Maiore procedentis, improuifam in eum faciunt irruptionem, diffugiente populo inermi: in fontem Papæ & oculos, & linguam euellunt, trahunt, versant, fultorioque contusum ante aram in monasterio Sancti Profsani relinquunt, prius ibidem carceri conclusum. Hinc dum noctu in secretiora abduceret, populi metu eum erepturi; ecce diuinitus ac protinus & oculos recipit, & linguam simul cum armatis superuenit eius Cubicularius Albinus, vi eripit vincitum corpore non oculis, non lingua; adeo clara laudes Deo grateque concinebat.

Ad.

Aderat tum forte Romæ Legati Caroli; tecum hi Papam abducunt Spoletum; indeque porro cum confluentibus ad eum undique Episcopis contendit ad Carolum; qui procul ei cum hymnis, festaque pompa occurrit, & aliquandiu honorifice detinuit consecrantem Paderbornæ aram, cui reliquias S. Stephani, ex vrbe tecum allatas, inclusit. Interea calumnijs eum apud Carolum petunt inuidi; quibus diluendis, Româ stipatus Episcoporum comitatu reuertitur. Hic quanto Cleri, populi que cum plausu fuerit exceptus, dicere vix est: nemo non erat, qui in celebrantis Missa communicare nollet, cognita causa malefici in Franciam relegantur, Leone pro ijs deprecante.

Patriarcha Ierosolymitanus ab Saracenis oppressus misit S. Sepulchri clauis in Franciam ad Carolum; qui per totum Occidentem indicit communem Collectam pro Ierosolymitanis oppressis.

AN. DCCC. Carolus ducit Romam, pacis turbatoribus comprimendis. Hic in Synodo edicitur: Qui habuerit quicquam aduersus Papam, secure proferat in medium. Nullo se offerente accusatore, Leo Papa in S. Petri basilica, profertens manu S. Biblia, ex umbone iuramento se purgat. Synodus enim solenniter fuerat protestata, se non posse, nec alium, iudicare Papam.

Inde in Natiuitate Christi Papa in S. Petri, nil tale præscientem *Carolus Magnum coronat imperatorem*, acclamantibus Romanis *AVGVSTVM* inungit; iteq; filium eius Ludouicum in Regem. At Carolus iuramentum concepit in hæc verba: *In nomine Christi Spondeo Imperator coram Deo & S. Petro me Protectorem ac Defensorem fore huius S. Ro. Ecclesie, prout sciero & potuero, diuino fultus adiutorio.*

Ecce, in Occidentem ex Oriente  
TRANSLATVM IMPERIVM.

Nimirum id ita & Potuit, & debuit *Papa*, Pater vnus orbis Christiani. Potuit iure, ex potestate illius per quem Reges regnant, & qui regnum de gente in gentem trãsfert. Neq; minore pollere Noui Testamenti sacerdotes summis potestate voluit Christus, quam Mystæ Aaronis. E quibus Samuel Saulem, hocque reprobato Dauidem inunxit: Elias & Elisæus ab Achab in Iehu, ac rursus in Ioiada regnum transtulerunt. &c. *Debit;* Quia ingrata Græcia toties adeo peccauit in Ecclesiam, toties Italiam & Occidentem eruentauit: toties Imperium subiecit Auaris, Hunnis, Gothis, Ostrogothis, Mauris, Saracenis, Lōgobardis. At Carolus toties & tot hostes triumphauit, Ecclesiam, Imperium conseruauit, auxit, illustrauit; vt meruerit idem, si quisquam. *Qua de Translatione consule Bellarminum.*

ERGO.